Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

christiane institutionis delegatum. Hinc factum est ut secundum quod preceperat impleret. scilicet ut omni tempore quo adviveret, ut usque ecclesie plebibus pari tenore pastoralem curam impenderet. preterea quod sanxit ut mediolanensis quam ipse fundaverat principalis ecclesiastici culminis sedes aliarumque in ea provincia ecclesiarum metropolis perpetualiter habeatur. His ita decursis beatissimus christi apostolus barnabas suam cepit accelerare profectionem. Accitisque discipulis indicat ad diem pasce se ierosolimam adventare. et se christo opitulante una cum fratribus et coapostolis ex voto celebraturum iri. Fit meror ingens tam christianorum quam paganorum qui se tocius in eo felicitatis detrimentum pati clamabant. hoc est si discederet. si illos pater illum relinqueret. Precipue vir domini sanctus anatelon lacrimabiliter ac graviter ingemiscebat: pro eo quod dixerat se ultra non visurum. quia reliquum vite tempus cum suis esset compatriotis ac fratribus permansurus. illum semper resolutionis sue diem expectabunda mente operiens quo sui laboris a christo coronam recipiat inmarcessibilem. Quem ita consolabatur magister ut diceret. Quid tamen mei delectaris presentia. cum tibi christi ihesu domini mei numquam defutura sit. Sic enim polliceri voluit dicens. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Amno de omnibus eius dictis et operibus ut ego a beatissimo petro et iacobo magistris ecclesie sic et tu qui me eruditus es. Nunquid aliquid tibi deesse poterit in vinea patrisfamilias desudanti. Cui doctrina fidei virtutumque efficacia non deerit. et que postulaveris impetrabis. His et huiusmodi sermonibus allevatum astipulationibus dimisit omnibus diligenter instructum. Protinus ad romanum regrediens portum ingressusque navim ad palestine confinium repedavit. Hucusque de primis ecclesie mediolanensis propagatoribus prout potuit captus ingenii ex diversis collecta utcumque longe paginis ceu discolor inamenis sola prati conpingi corpuscula satis adnotasse et conglutinasse sufficiat. Nunc vero ab ipso anatelon tempore usque ad hec que in presenti decurrunt secula. gressum licet pendulo stili huius excursum dirigam. quem mihi tu presul excellentissime dexteram extendens benedicas. et arduas callis asperitate retunsus incedet per devium.

Vita sancti anatelonis mediolanensis episcopi

Anatelon episcopi igitur episcopatus apicem sui magistri sanctissimi barnabe vice velut christo dante suscipiens. apostolicis formavit operibus. probis actibus decoravit. Erat quippe divine caritatis igne fervidus. virtutum nitore splendidus.